Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

CINNAMOMO,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, AC MONTIVM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ & reliqua,
SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,
HEREDITARII in Schwartza /
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
Patroni, Præceptoris & Susceptoris omni honoris cultu ac filiali observantia ætatem prosequendi,

PRO LICENTIA,
Summos in arte Medica honores, Insignia & PRIVILEGIA DOCTORALIA,
MORE MAIORVM, rite capessendi,
PVBLICÆ DISQVISITIONI EXPOSITA
a


GEORGIO CHRISTIANO TITIO, Ienensi,

IN AVDITORIO MAIORI,
horis ante- & pomeridianis consuetis,
A. D. Decembr. A. C. M DCC VII. c. fig. aen.

IENÆ, LITTERIS KREBSIANIS.




Cinnamomi Ceylanici
ramulus cum foliis,
floribus & fructibus.
C. Junghanß f.



I. N. I.

PRÆFAMEN.



Eleganti voce aromata Græcis audiunt & dicuntur ἡδύσματα, quasi dicas suauia, iucunda, grata & accepta, non tam oculis, quamuis & his abblandiantur, quam odore & sapore.

Hoc enim ipsorum est formale, & præbent condimenta cibis & potibus ipsis longe gratissima, vt moraliter ioci ἡδύσματα seu condimenta laborum. Præbent medicamenta non solum essentialia, sed & reliquis gratiam sua accessione fœnerant.

Faciunt ad esse & bene esse & aromata, κατ' ἐξοχὴν dicta, & aromatica, summæ vtilitatis, nec minoris iucunditatis, seu intra corpus assumantur, seu extus in vsum vocentur.

Vti vero, quæ vtroque nomine eminent, reliquis omnibus anteponenda, sapore, inquam, & odore, ita & hoc titulo & aliis primatum sibi vendicant, inter alia, cortices.

De diuisione hac aromatum, si sub certas classes vocentur, optime egit *Smetius in Miscellaneis.* Liceat

ceat vero nobis primas partes aſſignare CINNAMOMO, quod cum caſſia lignea ſub corticibus locat.

Hoc enim maximo ſuo iure id meretur, ſi in comparationem veniat, & omnium, & ſingulorum. Quare operæ pretium duximus, hoc, tanquam apicem omnium aromatum, delibare, &, quantum temporis & inſtituti noſtri ratio permittit, DEO O. M. benedicente, ruſpare.

CAPVT I.

De

Cinnamomi Definitione nominali & reali.


Ruſtraneum quidem prima fronte videri poſſet, in NOMINIS ſpeculatione occupari, cum rei potius ratio habenda ſit, neque ad forum medicum illa æque pertineant: verumenimuero multum ad rei notionem nominum notio facit. Vt enim elegantiæ id debetur, & ſolidiori rei ſcrutinio via ſtruitur, ad eiusdem adyta exhaurienda, ita idem apprime decet medicum.

Nomen cinnamomi, aromati coæuum quaſi, vtrumque antiquiſſimum eſt. Falluntur ſine dubio, qui alluſione quadam ducti quaſi Chin-amomum, id eſt amomum ex China, dictum rentur. Neque enim cum amomo quicquam commune habet cinnamomum. Par ratio eſt eorum, qui Moluccis cannama vocari putant, can vero lignum ſignificare, nama dulce, vt idem ſic ſonet, quaſi lignum dulce.

Remo-

Remotior fuerit potius hæc allusio, & si verum id est, mere accidentaria. Vltra enim Moluccenses sapere oportet, & altius repetenda vera originatio.

Suggerunt eandem omnium antiquissimi fontes sacri, vnde in reliquas omnes linguas nomen fluxisse congrue magis statui debet. Quis antiquior scriptor diuino Mose? quis sapientior Ægyptiis autoribus, quorum vniuersam artem atque scientiam intime calluit idem? Clare hoc admodum, & ad oculum patet, quando *Exod. XXX. v. 23.* res & nomen optime exprimitur; hoc per vocem ipsissimam, in aliis omnibus retentam, sola cuique linguæ genio propria flexione variata, קִנְּמָן־בֶּשֶׂם *cinnamomi aromatis*. Hoc enim & pro adiectiuo, vi linguæ, accipi potest, i. e. odorati, & longe magis emphatico substantiuo, aromatis, quod plus dicit.

Et *Cantic. 4. v. 14.* sapientissimus Regum laudat קִנָּמוֹן. Non opus est aliorum populorum expressionem laudare, satis est Græcorum κιννάμωμον & Latinorum *cinnamum*, (ita enim ad verbum redditur,) & *cinnamomum*, singula duplicato n, instar omnium sufficere. Apud *Theophrastum* vero simplex id solum occurrit, non geminatum, vti etiam apud alios promiscue, quod mox ad cassiam applicabimus quoque. Germanis Zimmet / item specialius Zimmetrinde audit.

Non possumus vero, quin memoremus solenniter itidem vocari *Canellam*, maxime Belgis Caneel, hinc & aliis, idque non incongrue. Ita enim dicitur a mechanica similitudine, qua cum canna conuenit, quasi dicas, parua canna, cortex cinnamomi arboris oblonga incuruata, ab exsiccatione æstuantis solis, & inflexa, nonnunquam ex dimidio saltim, nonnunquam ex toto quasi magis. Dictumque est idem nomen similiter ab Hebræo קָנֶה *canna*, *calamus*.

Nec *cassiæ* nomen reticendum est, non solum, quod cum cinnamomo confundatur vulgo, verum etiam quod

maxime affinis ſit, quin locum generis quaſi obtineat & ſubeat, pluribus diſtinctis communis, & ſpecialius certæ ſpeciei attributa, vnde neceſſum eſt, hæc luſtrare paulo penitius.

Enimuero reuera caſſia & caſia vnum idemque eſt nomen, & fruſtra diuellendum. Qui id aſſerunt, vt *Anguillara*, & forte alii quidam, videntur id feciſſe, ſi verum fateri volumus, ex ignorantia Græcæ linguæ. Siquidem apud *Dioſcoridem* & alios omnino κασσία pro κασία ſcribitur & prædicatur, citra vllum diſcrimen.

Adde, quod Græcis ſolenne eſt, in aliis vocibus ſimilibus pro ſimplici σ duplicatum, & pro duplici ſimplex ſcribere & pronunciare, vt κασσίτερος & κασίτερος. Neque vlla ratio eſt, quæ ex leuicula hac differentia & diuerſa ſcriptione hac diſtinctam rem inferat, vel ſignificet.

Poſito hoc & conceſſa merito affinitate, tamen cinnamomum & caſſia non vnam rem, apud nos h. l. medicamentum & materiam medicam, ſed duo ſignificat & infert diſtincta, ſeu ſacrum Codicem conſulamus, ſeu profanos ſcriptores. Omnes enim illi in hoc accurate conueniunt. Duo diuerſa nomina, non ſynonyma ſunt, vel eſſe poſſunt æque, niſi aliud quid hoc inferat, vel euincat.

Non dicemus de aliis, ipſa vox קִדָּה nobis jam ſufficiat, quæ vt caſſiam, ſeu caſiam, notat, & indifferens eſt, molliori, vel pleniori effato pronunciata, notanter coniungitur cum laudata altera קָנֶה apud *Ezechielem c. 27. v. 19.* liceat nobis tantisper interpretari *caſſiam* & *cinnamomum*, donec meliora affulgeant ad hæc illuſtranda.

Diſtincta ſimiliter apud profanos ſcriptores, & non medicos, vt ita loquamur, & medicos ex profeſſo, demonſtrat locus elegantiſſimi & principis Poetarum, *Plauti* puta, *Curcul. Act. I. Scena II.* vbi ita ſcribit :

Tu mi-

Tu mihi stacte, tu CINNAMOMVM, *tu rosa,*
Tu crocinum & CASIA *es, tu bdellium.*

Vbi *Taubmannus in comment*: cinnamomum aroma fragrantissimum, cuius in locum successit nobis casia, *κασσία σύριγξ*, Zimmetrinde / admodum inconuenienter, & rei incongrue.

Vtut vero cortices aromatici non vni hodie sint cogniti, recepti, & in vsu; minus tamen ad cinnamomum & cassiam, quo de nobis res & sermo est, referendi, quamuis ad alterutrum spectare dicantur communiter. Ita ad cassiam approximare putatur *cassia caryophyllata*, illa a figura, hæc ab odore consimili dicta. Et cassia sane caryophyllata hæc reuera natiua est, non arte vel fuco facta & enata, quod aliquibus visum est. Testatur id substantia, copia, pretium minus, quam fucus ferre possit, textura ipsa, vsus, & alia. Germ. Nelcken-Zimmet.

Sic & costus Arabicus, siue idem, vt apparet, cum cortice Winterano, seu diuersus potius, Germanis weisser Zimmet / nihil plane cum cinnamomo vel casia habet commune, diuerso plane colore, odore, sapore, viribus & vsu. Cortices sunt vtrique, cortices aromatici, sed quoad reliqua omnia distincta. *Cassia* vero *fistularis* plane alterius est generis, cuius canna toto cœlo differt a casia aromatica, & cinnamomo, virtute laxatiua conspicua.

Et hi fere sunt cortices vsitati, sub hoc genere locandi, specialius vero cinnamomum & casia *κατ᾽ ἐξοχὴν* dicta, de quibus plura etiam attinet dicere, de cinnamomo quidem principaliter, de casia adæquate.

Cinnamomi olim sex species numerabantur a *Dioscoride l. 1. c. 13.* & *Galeno*, quas huc arcessere & singulatim delibare superfluum foret, quandoquidem illa & nomina & species, nec nomine, nec re, amplius extant, sed vel

exoleta ſunt plane, nec in vſu, vel tantum velut abortus quidam priorum.

Ne tamen gratis videamur illas omittere, ſed ex iſto numero vſum aliquem obtineamus, admittenda fuerit diſtinctio, quæ in *verum* & *ſpurium* obtinet, & retinenda omnino. Memorat enim, præter priores genuinas & veras, quod *εὐῶδες σφόδρα*, & quod *λίαν εὐῶδες admodum, & valde ſuaueolens* vocantur, ſpuriam & falſam ſpeciem, quod, *ψευδοκινάμωμον*, *pſeudocinnamomum* appellat, & lignoſum; *ἔϛι δέ τι καὶ ἄλλο ὅμοιον τὸ καλούμενον ψευδοκιννάμωμον· εὐτελὲς οὐκ εὔτονον τῇ ὀσμῇ*, inquit. *Eſt vero ſimile aliud, cui pſeudocinnamomo nomen eſt, vile, inualidi odoris, exolutarumque virium.*

Hoc iterum ſtatui poteſt duplex, alterum *natura* tale, ſeu natiuum, inodorum, non aromaticum, inſipidum, quale fuit Dioſcorideum illud, non officinale hinc, nec actiuum, ſimile, non idem, vt ſi faciem videas, cinnamomum putes; ſin odorem conſulas, ſi ſaporem explores, nihil minus quam tale.

Alterum *arte*, fuco, fallacia præuia factum, quale deſtillata ex canella aqua, vel oleo, per mechanicam chimicam conſurgit, cuius ſpecimen toto die accidit in capite mortuo, quod vocant, ab illis deſtillatis reſiduo.

Ita maximam cinnamomi & caryophyllorum partem ſpirituoſisſimis & ſubtilisſimis partibus aromaticis in India inſigniter orbari, prius, quam in Europam transferantur, refert *Boyle Tentam. Phyſiol. p. m. 88.*

Non aliter id fieri putandum eſt, quam mediante deſtillatione, ſed in vaſis majoribus ſaltim, ex cinnamomo genuino, ſiquidem cannæ ſint majores. Natiuum vero quoque dari tale Dioſcoridis autoritas euincit, olim enim, ſeu ſeculis illis priſtinis, incognita forſan fuit ars deſtillandi aquas. Vidimus apud ſeplaſiarium noſtratem bonam ſatis quan-

quantitatem talis ſpurii, ſeu pſeudocinnamomi, facie genuino vt ouum ouo ſimile, ſed nullo odore, nullo ſapore aromatico.

Argui tamen videtur poſſe dari etiam medium, ſeu cinnamomum genuinum & ſatis bonum, variationem tamen quandam ſubiens. Meminit talis periodicæ nonnunquam, quoad vigorem, in cinnamomo variationis, *Daniel Ludovici*, vir candidisſimus & αὐτόπτης, qui ſæpius obſeruauit, optimæ notæ allatas cannas, pipereque pro more aromatariorum ſepultas, ſaporem natiuum aliquando exuiſſe fere penitus, librum æque ac crasſiorem corticem (hunc tamen frequentius,) poſt aliquod vero temporis (incertum tamen) ſpatium recuperaſſe id denuo ſatis vegetum, vbi & de cauſis huius phænomeni diſquirit, *Miscell. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. IV. obſ. 202. p. 278*. Præter illas vero ſatis curioſas ipſa ætheris diuerſitas, particulas illas ſapidas poroſque ipſos modo expandens magis, modo concentrans, addi poſſe videtur.

Ceterum nec ſpecies illas Dioſcorideas de nihilo eſſe, vel ad non entia referendas, fidem facit *Breynius l. c.* qui præter notas cortices aromaticas plures alias obtinuit, idem atteſtantes. Sufficit cinnamomum electum officinale inſtar omnium eſſe, & noſtræ iam conſiderationis. Cinnamomum primario & ſpeciatim acceptum, pro cortice vſuali præcipuo, & ſolo, adæquate arborem ipſam.

Vt vero diſtinctius ſpecies hodie vſitatas delibemus quoque, tres potiſſimum, ſi corticem chinæ de china, & alios, huc non referamus, ſecuti Diſpenſatorium Collegii Medici Noribergenſis curatiſſimum, memorandæ veniunt. Prima ſit, quæ quidem vltima inuentione & vſu fuit, recentior, & a *Piſone* potiſſimum deſcripta, iam tacta, caſſia caryophyllata, ſeu *cinnamomum caryophyllatum*, Negelein-

Röhren / Nelcken Zimmet / de quo quidem plura non addemus.

Altera, cum cinnamomo κατ᾽ ἐξοχὴν dicto paris antiquitatis & vſus, CASSIA LIGNEA, CINNAMOMUM, ſeu canella MALABARICA & Iauanenſium *B. II.* Mutter-Zimmet. Huius mentio egregiam theſin aliam infert, commode dici poſſe caſſiam ligneam hanc *cinnamomum fœminam*, vt *cinnamomum verum marem*, ad inſtar aliorum, hoc nomine ſeu prædicato gaudentium, ſiue vires ſpectes, ſeu vſum, congrue admodum.

Tertium denique eſt cinnamomum nobiliſſimum; CANELLA CEILANICA l. B. a patria dicta, qua de fuſius paulo agendum venit, ſi prius DEFINITIONEM realem præmiſerimus, quam ſequentem dabimus.

Cinnamomum eſt cortex exoticus, cannæ inſtar, arboris cognominis glandiferæ, præcipue ex Inſula Ceilan, colore ex flavo ruber, ſapore dulci-acuto-aromatico penetranti, a ſale volatili oleoſo naturæ amico, particulis terreis acidisque immerſo, polychreſtus.

GENUS eſt cortex, isque aromaticus, in vniuerſo orbe celeberrimus, & notiſſimus hodie, & quidem medianus ſeu interior, ipſo exteriori tenuiori, cum recens eſt, facile ſeparando, canellæ Ceilanicæ nomine hodie veniens.

Cortex eſt, ſenſu teſte, isque modo maior, modo minor, oblongus, cannæ æmulus, neque enim maius & minus variant ſpeciem, quod cum omnibus arboribus habet commune. Cortex poſitiue, ille enim theſaurum & cimelium conſtituit æſtimatiſſimum, odorem, ſaporem, eſſentialem & formalem, aromaticum ſine pari. Cortex priuatiue, ſine ligno, quod reſpectiue iners eſt, neque participat quicquam de his dotibus. χρήσιμος δ᾽ ὁ φλοιός, οὐ τὸ ξύλον: *hic* vtilis, *vſitatus*, ſummæ gratiæ *eſt*, verbis *Theophraſti*, *non lignum*,

quod

quod iners, quoniam hoc μωρὸν & insipidum est, in quo recentiores omnino conueniunt.

Arbor vero ipsa non vno conceptu analogiæ, ad alias comparata, describitur, tam figura, quam altitudine & magnitudine, aliisque. Alii cum *Theophrasto* æquiparant *vitici* fruticem, quem agnum castum barbare vulgo vocant. Arborem mediocrem *Iac. Breynius* describit, & cum tempore satis magnam, ligno albo, inodoro, molli, *salici* non absimili, variis concinno ordine ramis diffusam, FOLIIS pediculos habentibus, tribus neruis insignitis, odore caryophyllorum aromaticorum.

Recentiores plerique *lauro* magis assimilant, maxime forte figura quadam laurinorum in suo genere inducti; alii *oliuæ*. Hæc omnia ex icone ad viuum expressa, & autopsia optime patent.

FLORES sunt racemosi, odoriferi, albidi, stellati, qui in FRVCTVS, detentos in calicibus, desinunt, oliuis minoribus præditi, vel instar *glandium* minorum potius, intus *nucleum* exhibentes. Latius & fusius hæc passim describuntur, & a nobis possidentur quoque, visenda singula satis elegantia. Hæc vero breuiter saltim & ὡς ἐν παρόδῳ notamus, quantum nempe nostri est scopi.

Ceterum plurima fabulosa apud antiquiores scriptores non solum de casia, sed & de cinnamomo, ab alitibus allato, fuere tradita, ab *Herodoto l. 3. p. m. 234.* afferta, ab aliis si non approbata, saltim relata, quæ prolixius afferre non attinet, vtpote nullius vsus. Vid. *Plinius l. 10. Nat. Histor. c. 33. p. m. 426.* & *Aristoteles l. 9. Hist. Anim. c. 13. p. m. 711.* qui hinc κιννάμωμον ὄρνεον, *cinnamomum auem*, vt *Plinius* cinnamologon, vocat; & *Harduinus Comm. l. c.*

Enimuero, vt hodierna ratio commerciorum longe alia est, tam ad inquirenda & cognoscenda omnia illa felicius clarius-

riusque, quam ad acquirenda & afferenda longe copiosius; ita olim, in defectu horum, carius longe, parcius & obscurius obtigere, per transennam quasi saltim visenda.

Alii ad arbores *pruniferas* referunt, verum commodius videtur ad glandiferas referenda, saltim ad ideam melius concipiendam; alii ad *nuciferas*, in quo vnicuique suam relinquimus philosophandi libertatem. Hinc, verbis *Dale, in pharmacol. p. 428.* notæ sunt glans nuciformis caliculata, nucleo bifido, calloso, duro ac pingui, cortice integro, admodum fragili, calice concauo. Vbi & plura habet.

CAPVT II.

De
Origine, Temperamento & Affectionibus aliis Cinnamomi.

HIs breuiter præmissis, propius de origine cinnamomi agendum venit, tum proxima, & immediata, tum remotiori, seu ipsa patria. Origo non aliunde petenda quam ex genere arborum, quoad characterem, nucleis præditarum, quoad corticem, canniferarum, earumque aromaticarum.

Vt vero melius hæc distinguantur, primo omnium asserere nobis integrum erit: Cinnamomum nostrum & veterum idem esse, non aliud. Vbi enim eadem prædicata, ibi idem quoque habendum esse subiectum; longe est verissimum, & extra dubium. Iam vnanimis est sententia veterum, esse grato odore, fragrantia, suaueolentia, gratissimoque sapore præditum, aroma omnium excellentissimum, neque quenquam id diffiteri; reliqua item omnia non affequi

qui cinnamomum, ſed multis ab eodem ſuperari paraſangis, nullum id præſtare, nec nominari poſſe.

Et ſi quædam videantur abludere, v. g. odor rutæ, vel cardamomi ſimilis aſſertus; notandum eſt, latisſime ἰδιάζοντας tales affectiones acceptas fuiſſe apud veteres, nam in confeſſo eſt, rutam, exempli loco non eſſe σφόδρα vel λίαν εὐώδη, *valde & admodum ſuaueolentem*, ſed βαρύοσμον, *grauem odoratu*. Idem de aliis puta. Non vacat vero autores huius aſſerti iam euoluere & laudare vlterius.

Nec cinnamomum veterum fuiſſe vel aſſeri poſſe casſiam caryophyllatam; toto enim cœlo differt, vel, ſi ſimilis quodammodo dicatur, ſimile non eſt idem. Comparetur vtcunque voles, nec odor, nec ſapor, nec affectiones aliæ huc fecerint, præcipuum cinnamomi diſcrimen. Eſt vero cinnamomi proprium, quod dicatur & ſit morſu acutum, nullum inter cannas ſimili gaudet ἐξοχῇ. Nec id vlla ſufficienti alia ratione probari poteſt.

Porro cinnamomum & casſia non vna eademque crescunt in arbore. Diſtinctum eſt vtrumque aroma apud ſacros & profanos autores, per dicta. Seu non una eademque planta eſt, quæ hic ferat cinnamomum, alibi casſiam, quæ ſummis ramis cinnamomum, imis casſiam largiatur. Vid. *Caſp. Hoffmannus l. de med. officinal p. 232.* & *Charas* inprimis *comm. de Theriaca.* Differunt ſapore, odore, & magnitudine, minor enim eſt casſia, ne dicam de patria diuerſa, & maxime *lentore* in maſticando, qui in casſia eſt, non in cinnamomo, & aliis.

Fallor? an *Dioſcorides* ipſam casſiam confudit cum calamo aromatico, cui non pauca tribuit, quæ casſiæ ligneæ conueniunt, (ligneæ forſan dictæ, quod reſpectu cinnamomi lignum magis ſapiat, quam aroma,) ſeorſim, quod ἐν τῇ διαμασήσει ſit γλισχρὸς, *lentus in mandendo*, & alia.

Cala-

Calamus vero aromaticus, *teste Eresio*, circa lacus crescit, *l. 9. Hist. Plant. c. 7.*

Sed hoc ipso inuitamur ad patriam cinnamomi, quam duplicem inuenimus, indefinitam & definitam, hanc vero veterum & recentiorum. Illud vero in genere præmittendum videtur, non videri in vno solo loco cinnamomum crescere, quamuis κατ᾽ ἐξοχὴν vno plurimum, & magis. Sicut enim non omnis fert omnia tellus, ita quæ simili climate gaudent, sæpenumero similia vel proferunt, & indigenatum sortiri possunt, imo non raro & in aliis.

Fertilem fuisse oportet regionem, quæ apud Geographos antiquos iam fuit & dicta est κινναμωμοφόρος, *cinnamomifera*, cuius sæpius meminit, eamque describit *Strabo*, velut ἐσχάτην οἰκουμένης πρὸς μεσημβρίαν, *vltimam orbis ad meridiem*, *l. 2. Geograph.* Hæc quæ sit, in controuersia est, cum sint, qui Africæ assignant, quo de vid. B. *Cellarius*, polyhistor celeberrimus *l. 4. Geograph. c. 8.* Æthiopiam vero aromatibus carere B. *Jobus Ludolfus* autor est, qui parem in cognitione linguarum, & maxime Æthiopicæ, non habuit, ne dicamus de aliis.

Quod si quis Taprobanen intelligat, (vti Ceilaniam esse sunt qui statuunt,) dissentit & contrariatur expressis verbis ipse *Strabo*, qui manifesto contradistinguit, duobus locis minimum *p. m. 63.* & *p. 72.* regionem cinnamomiferam, imo eidem oppositam asserit, quod quidem in præsentiarum eruere non allaborabimus.

Non minori autoritate & ratione patria cinnamomo assignatur India & Arabia. Refert hoc *Theophrastus Eresius* non minus in genere *l. 4. Hist. Plant. c. 6.* Arabiam, Syriam, Indiamque matres arborum odoratarum, & inter hasce cassiæ & cinnamomi; quam in specie eadem gigni in media regione Arabum, circa Saba & reliqua loca. *l. c. l. 8. c. 4.* &

l. 4.

l.4.c.7. De posteriori idem confirmat *Diodorus Siculus l.III.Rer. Antiquar.* qui Arabiam felicem, casiam, cinnamomum, & alia eiusmodi plura ferre scribit. Et *Dionysius* in *periegesi v.945.*

φύλλα φέροντες, *canit*, ἀκηράσίων κιναμώμων,
Folia ferentes incorruptibilium cinnamomorum.

Itemque *Priscianus* in eadem *v. 178:*

Et casia nec non & cannæ dulcis odore
Cinnama præterea iucundæ naribus auræ.

Quamuis igitur *Garzias* & alii negent in Arabia inueniri cinnamomum, sua tamen autoritas laudatis relinqui potest, donec plenior inuestigatio hoc perfecerit; rarissimæ enim illuc sunt peregrinationes etiamnum hodie, & tanto quidem rarius, quo abundantius per hodierna commercia affertur ex vnica regione Ceilan.

Nec apud *Sinas* deesse Cinnamomum hodie statuitur, quo de latius *Neuboffius* videri meretur. Confirmarunt vero idem præ omnibus aliis, non modo *Serapio Simplic. c.265.* qui Persis Darseni dici asserit, quasi dicas, lignum Sinense, verum & præcipue *Michael Boym* in *Flora Sinensi*, libro rarissimo.

Hoc, *scribit*, Sinenses Kueypi vocant, in prouinciis Quamtum, Quamsi & Tunchin prouenit, sed melius omnium in Ceylan Insula, (cui olim Sinenses hoc vocabulum ex multis nauibus confractis imposuerunt,) progeneratur. Idem etiam autor est nomenclaturæ laudatæ, quod mercatores a Sinensibus alias dicto arboris dulcis cortici imposuerint nomen Cina- & momum, quod significet lignum Sinense dulce & odoriferum.

Quibuscunque igitur locis prouenit accrescit, adulto sic more finditur ac cæditur, cultro incuruo remoto

extimo tenuiori cortice, ſolique feruenti expoſitus ſiccatur, colore mutatur, calore intenſiori magis expanſo, ad ruborem quendam. Ipſa arbor ſic decorticata ab aliis ſcribitur interire, vti apud nos conſimili proceſſu instituto exaret quoque arbor, ab aliis prouehi iterum, perdurare, & porulis exſudantibus miculis iterum incruſtari, & corticem ſic renaſci. Fieri id forte poteſt, ſi tertia intima cutis ſuccum nutritium colligere illibate queat, & contra.

Tempus colligendi ab aliis plerisque indefinitum, ab aliis definitum innuitur. Si *Floram Sinicam* audiamus, dum fructus nigreſcit, tempus decorticandæ arboris Cinnamomi aduenisse colligunt. Minimum arbores diſtinctæ eliguntur, aliæ annoſæ, aliæ iuuenes & vegetæ magis, optimæ mediæ. Vnde & pro bonitate aliud Cinnamomum finum, finius, finiſſimum audit, omnium optimum: aliud medium, aliud vilius, quod tamen pauci aſſerunt.

Maior temperamenti habenda eſt ratio. Eſt hoc generatim cum aromatibus omnibus commune, omnia enim aromata ſunt calida, nedum tam eminens, & ἐξοχῇ ſingulari præ aliis conſpicuum. Conſentiunt in hoc omnes medici, qui hæc principia genuina naturæ admittunt, & ſpeciatim, qui ſimplicia ſecundum hanc claſſem graduum diſtribuit *Serapio*, qui inter alia calida & ſicca tertio gradu locauit. Neque in eo aliquid deſiderandum, ſed id omnino concedendum eſt, niſi manſiones quasdam ad penitius illa determinanda ſtatuere velimus, differentia admiſſa pro notis bonitatis, ætatis, collectionis ac durationis, & reliquorum.

Teſtantur id euolutæ, per examen ſenſuum, ſaporum affectiones, particulæ acres, ſalinæ, ſapidæ, dulces, volatiles, vtræ-

vtræque oleosæ, sali fixo acido-terreo immersæ. Sistunt se oculis, seu via sicca tractentur, seu humida, imo & a principio decorticationis. Quando ea circa truncum cæditur, quando arbor succo turget, separatus cortex recens, in principio est planus, minus coloratus, & fere expers saporis & odoris refertur. Sed inter siccandum conuoluitur & figuram cannæ induit, vnde canellæ nomen est, & exhalat eiusdem humiditas superflua, quæ occulebat prius maximam partem bonarum qualitatum, prodit se odor dulcis & penetrans, non minus ac sapor maxime tam acceptus, quam acutus & penetrans, poris patulis exhalans. Vid. *Charas pharmac. Galenic. part. 1. pag. 166.*

Vtut vero non parum immutetur per ignem immediatum, eædem tamen partes emicant & hoc modo ℞. cinnamomi acuti ℔i. concerpatur in frusta, quæ indantur in retortam vitream, iuncto recipiente apto vitreo. Destillatione facta in catino ex arena, successiuo igne, inde prodiit primum phlegma, & spiritus acidus, ad vncias sex vel octo, instar spiritus tartari quasi, hinc oleum nigrum ad ℥ß. minimum, ex dulci acre, sed empyreumaticum, citra vllum sal volatile conspicuum.

Elegantius & minori dispendio, maiori gratia, idem impetratur in aqua cinnamomi, vt inferius dicemus. Vidimus etiam in oleo cinnamomi genuino succrescentes circa fundum crystallos, satis elegantes; ne dicamus, ex oleo repeti quoque sal volatile, methodo Helmontiana, si quis ea occupari velit, quo fere non opus est. Frustra vero fuerit, qui negare hæc elementa sustineret, tam clara, tam euidentia, vt nihil supra.

Et ob hanc actiuitatem particularum eminentium, cum-

primis ſi verum ſit, non adulteratum, adæquate & ob ſiccitatem, cariem non ſentit, non corrumpitur, & vires quam diutiſſime ſeruat integras, puta, ſi ab aere, aqua, terra, igne ſeruetur integra & illibata ſubſtantia.

Sunt, qui certum & definitum tempus, quo aſſeruari queat integris viribus cinnamomum, aſſignant. Non audienda eſt *Flora Sinica*, de cortice accepta, quæ vix vno anno ſuam perfectionem primæuam retinere ſcribit, quod de ligno forte intelligit. Alii decem, quindecim, viginti, triginta annos durare aſſerunt, ſed reuera indefinita eſt hæc ætas, & duratio tam obſeruata, quam ratione ſtabilita.

Implicata enim & inuoluta ſunt volatilia fixis, ſalina ſulphureis, terreis vtraque, vt & aqueæ eſſentiales coalitæ & concretæ cum ſingulis. Ita obtinuimus vltra triginta annos fruſtulum tenuioris, & cum ligno ſuo iuncti corticis. Baculus ex cinnamomo, qui ſummi fuit Regis, hinc Sereniſſimi Principis Diui Erneſti, in sarithecio Saxonico arcis Fridenſteinenſis aſſeruatur. In Herbario vero viuo, ex charta regia, in Bibliotheca Ducali ibidem, extat inſertum cinnamomum, quod Anno M D XC. ex Inſula Ceylon decerptum fuit, tam odorum, ſapidumque & elegans, ac ſi ante paucos dies inſertum fuiſſet.

Notabilis vero vna præcipue eſt hic τρόπος τῆς μίξεως, ſeu *modus miſcelæ*, ſiquidem in cinnamomo aqueæ acido-alcalicæ, terreæ fixæque cum volatilibus ita remixtæ, plura phænomena, inprimis dulcedinis ipſius, quæ acido-ſulphureo diuerſimode modificato merito debetur, illuſtrant; & hinc inſigniter proſunt. Hæ aditum ſubtilitate ſibi parant, & euoluuntur prompte in corpore, & euaporant, vti ἀναθυμίασις talis chylo, & aſſumptis alimentoſis, cum medica-

dicamentosis his est communis, fixis remanentibus & roborantibus, contemperata & diuisa virtute aperitiua & adstrictiua, quo ipso ad vires scrutandas, & commemorandas inuitamur.

CAPVT III.

De

Viribus & vsu Cinnamomi.

MEdicorum interesse est in scrutandis naturæ arcanis, omnia æstimare ab vtili, adeoque etiam potissimum in cinnamomi determinandis viribus integrum erit occupari, quæ sane, aliis tam medicamentis, quam aromatibus contra, sunt summi nominis.

Vt vero conciso ordine illas exhaurire & complecti possimus, videntur facillime proponi velut in idea posse, si dicamus tribus verbis, quæ in bona causa alias sufficere prædicantur, easdem constare alterandi, aperiendi & roborandi virtutibus.

ALTERAT cinnamomum principia vitalia, calidum & humidum, intendendo; calefacit, rarefacit, in motum vocat & serum & sanguinem, flammam vitalem depressam, prodest in affectibus frigidis in genere, vt aromata alia quæcunque; calefacit sic, & siccat.

Commendatum hinc sine dubio fuit iamdudum & contra morsus viperarum, saltim etiam communi nomine. Ingreditur theriacam, mithridatium, idemque in substantia, & plerisque inde præparatis præstat.

Vlterius vero APERIT, incidit, attenuat, viſcoſos, lentos, pituitoſos humores, imo & fixos acetoſos. *Diureticum* eſt, expedit vias inteſtinales, cruditates acidas & pituitoſas, tubulos chyloſos, glandoſos, meſentericos, renales. *Emmenagogum* eſt, tollendo remoras menſtrui ſanguinis, & vias vteri poroſque ad ὀργασμὸν minus pronas atque patulas naturali ſtatui aptat, & inter aperientia præcipuum, & inter pellentia ipſa. Hinc & in partu difficili iuuando magni momenti eſt, ingreditur pulueres ad partum Auguſtanorum, Noribergenſium, oleum cinnamomi, puluerem ad partum aloeticum, Wedelianum, & alia.

ROBORAT maxime alterando & aperiendo, eo magis laudandum, quo excellentius vtrique præeſt. Mediante λεπτομερείᾳ aperit, adiunctis particulis terreis roborat & adſtringit, qualia aperientia optima eſſe vnanimis medicorum ſchola confitetur.

Roborat ſpiritus vitales & animales, luculam vitalem & flammulam exſuſcitat, iisque ſuggerit noua ſuccendicula, amica quam maxime. Roborat humores, ſanguinem cum ſuis globulis, & ſale volatili, lympham balſamicam, modo non peccetur.

Quod enim, elogio *Galeni*, de aliis valet, nullum eſſe tam generoſum medicamentum, quod non aliqua ex parte noceat, vel abuſu nocere queat, id etiam de cinnamomo verum eſt, & prædicari poteſt. Cum enim calefaciat, cum alteret, facile efficitur, cauendum eſſe, ne quid nimis; ne in calidis affectibus, vt febribus continuis, vel aliis vltra modum excedatur.

Vtut enim omnibus aromatibus contra & hanc prærogatiuam poſſideat, quod non facile piperis acrimoniam, croci

croci eminentiam vaporosam, nucistæ aliorumue oleositatem attingat, vel iisdem fœnerari corpori noxam soleat, quod temperatis & fixis mixtam volatilitatem obtineat; rarefactione tamen, & modo adhibendi minus congruo nocere aliquando potest.

Neque ordinarie extra febrim & excessiuam molem id præstiterit, vti *Mœbius* inde palpitationem cordis *Epit. instit. medic. p. 157.* ortam obseruauit. Quin paroemia vera est Gallorum: la vertu de la canelle ne passe sur l'estomac; *Virtus cinnamomi non transit facile ventriculum.* Sed redeamus ad scopum nostrum.

Si speciatim SINGVLOS VENTRES pertranseamus, quomodo virtutem roborantem hinc inde seorsim exerat, apprime id præstat in MORBIS CAPITIS FRIGIDIS, a viscidæ acidæ pituitæ coagulis, ab acetosa fixitate, ab intemperie frigida oriundis. Officium facit in melancholia v. g. apoplexia, paralysi, incubo, affectibus soporosis, catarrhis, memoriæ debilitate, obliuione, catalepsi, vertigine, epilepsia, & aliis suppetias fert cinnamomum.

In OCVLORVM item, AVRIVMQVE & aliorum sensoriorum organorum roborando elatere, excellit cinnamomum, seu visus sit debilis, seu immineat suffusio, seu gutta serena minitetur, seu aliis modis spiritus & lympha descìscant a suo vigore balsamico, appetente senio, aut scorbutico alioue peregrino charactere.

Ad προσθεσιν nempe confert magis, quam ἀφαίρεσιν, vbi calidum roborandum, vbi humidum vigorandum, principia vitalia ad vitam longam suffulcienda & fomentanda. Idem in δυσηκοΐα valet, quando susurrant, & tinniunt aures, æther impensus vigorandus, dissipanda aura elastica, & in genere ipsi flatus, vt in colica, & alias.

Enim-

Enimuero CARMINATIVVM etiam eſt excellentisſimum cinnamomum. Liceat hinc culinam primam inſerere & delibare prius, ſeu coctionem primam, vnde lucent reliquæ. Carminatiuum præſeruatiue, & curatiue, & inter ſtomachica principale: ſeu fermentum ſpectes, quod acrimonia ſua volatili & balſamica acuit; ſeu calorem vitalem, quem animat, ſeu περίληψιν & fibras nerueas, & quod ſigillat reliqua, tonum integrum, quem apprime roborat.

Hinc condimentum eſt culinarum longe gratiſſimum, ſuauisſimum, catholicum, polychreſtum, princeps. Vt hæc paulo viſamus penitius, condit & ſuauitatem accesſione ſua conciliat, ſi intritum, cum pane & vino, vel cereuiſia quoque, parandum, ſeu tragema cum vino & ſimilagine, cum & ſine ſaccharo.

Sin fruſtula integra æſtimes, ita cum cinnamomo & caryophyllis condiuntur perdices, galli Indici aliique asſandi. Sic inſperguntur pultes ex gramine mannæ, & oryza. Et aqua cinnamomi & puluis decorat & condit iuſcula amygdalina, decoctum herbæ Thee; confectio cinnamomi panes Martios, & nulla non alia.

Gratiam conciliat vna ori, corrigit fœtorem, maſticatorium eſt, condit ſaliuam, tollit putrilaginem ſcorbuticam, clareta præſtat, & gulæ illecebras, cum & ſine ſaccharo, imo ipſi huic contra gratiam offert, vel vtraque potius, connubio iuncta, ſe inuicem reddunt gratiora.

Sed quid dicemus de VENTRICVLI AFFECTIBVS ipſis? Retundit nauſeam, ciet appetitum, coercet vomitum, tollit ructus, reſoluit ſingultum, refrenat lienteriam, corrigit cardialgiam, arcet & emendat cruditates, totam illu-

ſtrat

ſtrat culinam, iuuat chylificationem, refrenat acidum fixius, iners, disiicit pituitam, ſtabilit totam œconomiam primam.

Roborat viſcera omnia, hepar, lienem, renes, partes genitales, meſenterium, remedium colicæ etiam ſcorbuticæ, torminum, obſtructionum hypochondriacarum, tartarearum, coagulorum lymphæ, lumbricorum ipſorum, icteri, cachexiæ, hydropis, frigidorum, vbi ἄπρακτα ſunt μόρια, nephritidis, dyſuriæ, ſtranguriæ.

Seorſim vterum roborat, ſi menſes ſint citandi, per dicta, ſi iuuanda conceptio, ſi remouenda item ſterilitas, abortus præcauendus, lac corrigendum, præſto eſt cinnamomum. Et habet quidem diuiſas operas, & in hoc paſſu, cum caſſia lignea, ſi temperatior medela expetatur, in reliquis vero eandem antecellit & ſuperat. Vterum frigidum iuuat, iam *Hippocrati* dudum cognitum & commendatum, & albo tabo manantem corrigit.

Et hæc præſtat citra vllam hyperbolen, conceſſa ab omnibus medicis veritate, & probatiſſimis vſibus. Imo, ſi exceperis febriles ignes, vbi tamen, retuſis & dilutioribus magis particulis actiuis calidioribus, nihilominus roborat inſigniſſime, vel fluxus ſanguinis immodicos, non facile etiam exceſſu laudato lædit, vel noxam parit.

Primaria quædam fœmina, eaque non grauida, cinnamomi delectata vſu & maſticatione adeo luxurioſa, & velut inſana, vt per plures non dies ſed menſes vix vllis precibus, monitis, deterrentibus minis, & cuſtodia, abſtrahi & dimoueri poſſet, quin vno die, mirum dictu, ad aliquot vncias, imo fere libram integram deuoraret: neque tamen inde morbum contrahebat, non imitando autem exemplo.

Vti vero eminentiſſimum eſt *cordiale*, ita in affectibus

MEDII VENTRIS ſuas exerit vires apprime. Sane in palpitatione cordis remedium eſt præcipuum, roborante, reſoluente, aperiente virtute, vnde vel ſola aqua cinnamomi cum ſpeciebus cordialibus temperatis facit officium, nedum reliqua omnia ex cinnamomo parata, ordinarie puta. Dantur enim aliquando ſubiecta, quibus quæcunque alia etiam optima non ſatisfaciunt, vti nec Iupiter omnibus placet, quod dici ſolet.

Sic Sereniſſima Princeps, aliæque perſonæ eminentiores, viſæ ſunt auerſari cinnamomum, ob ἰδιοσυγκρασίαν, tenerioris ætheris variata preſſione, vnde in motus anomalos citantur ſpiritus.

Idem de lipothymia & ſyncope valet ipſa, vbi εὐπόριστον eſt & cinnamomum, vel ſola maſticatione, vel illitu olei, vel balſami adhibitum, ſpiritibus ſic adſpirans opem præſentaneam. Adeoque & hic roborandi vis emicat, & tono cordis & ſanguinis robur afflat longe optime, vel intus, vel extus facta applicatione.

Imo & in THORACIS AFFECTIBVS non deſinit eſſe ſalutare & proficuum, in tuſſi crepera, craſſa, tenaci, lenta, viſcida peccante pituita, in aſthmate, incubo, communi cerebri, neruorum vocalium, & pulmonum adiuto officio; in catarrhis. Sale enim volatili oleoſo reſoluente & his ſuccurrit, & grata pectori dulcedine cum aliis appropriatis remixtis.

Tacemus virtutem anthelminticam, & putredini ac fœtori inimicam, vnde ANTISCORBVTICVM eſt, ſcorbuto frigido & lymphæ putrilagini, acidoque ſalutare remedium. Quæ enim corruptioni ſunt contraria, eadem & putrilagini cuicunque: quod vero quid non habet, etiam hoc loco, illud alteri dare non poteſt. Et ipſa hac ſua aromaticitate contrariatur virulentiæ, verbis *Ebnſinæ*, ſeu contraria putrefactioni

reſi-

resistit medicinis mortiferis ; seu, effato *Anazarbei*, ἰοβόλοις θηρίοις καὶ θανασίμοις ἁρμόζει, *contra bestias, quæ virus eiaculantur venenaque conuenit.*

Præstat hæc & alia cinnamomum non modo interius potissimum, verum etiam externe, eodem vsu. Et id quidem in suffitu maxime, vti ad vterum maxime celebratum legitur apud *Hippocratem* non vno loco, v. g. ad eundem emolliendum & purgandum, ad dolores, ad sterilitatem & reliqua.

Id ipsum ad fœtum roborandum non de nihilo est, cum amygdalis dulcibus, caryophyllis aromaticis, nucista, mace, vino Hispanico, vel balsamo embryonum, cum pane mellito Noribergensi, notissimi vsus.

Nec EXTERNIS aliis inconueniens est morbis, quorum instar lentigines, & vitia cutis in facie, ex melle illitum detergit. Vnguentis etiam pretiosis inseri solet, καὶ καθόλου ἐστὶ πολύχρηστον, *& in summa magni ad omnia est vsus*, vt verbis *Dioscoridis* hæc concludamus.

CAPVT IV.

De Præparatis ex Cinnamomo Galenicis & Chimicis.

VIderi quidem posset cinnamomum statim suum esse, nec egere præparatione vlla ; sed id antiquis seculis valuerit, ignorantibus spagyriam, vel, vt communius hodie audit, chimiam. Vulgatissima omnium & facillima est præparatio, quæ fit contusione in puluerem, aromaticum illum & fragrantissimum, siue pro vsu culinario, seu medicamentoso.

Hic vero tenendum eſt, vix commode & ſine damno, id fieri in vſus alios, quam extemporaneos, & quibus carere alias minus poſſumus. Vel ipſa enim contuſione illa & cribratione exhalant non paucæ, optimæ, volatiles, & aromaticæ particulæ, quæ citra neceſſariam pulueriſationem manſiſſent integræ.

Hinc plane inutile eſt, quod *Dioſcorides* præcipit, ſi tritum vino excipiatur, vmbraque ſiccatum, quo diutius eduret, recondatur. Satis eſt tantundem pulueriſatum, defenſum ab aere, aſſeruare, quantum ad vſus extemporaneos, per ſe & cum aliis miſcendum vel extrahendum eſt neceſſarium. Quin nec ad aquam, vel oleum euocandum pulueriſatione opus eſt, cum ignis & aquæ vi exui queant & euolui, vt mechanica ab extra appareat integra, reuera tamen nil niſi cadauer vita priuum ſuperſit.

Sed, vt præcipua & potiora, genuina, claſſica & apud Europæos in officinis vſitata libemus medicamenta, ex cinnamomo præparata, inter hæc prima ſit AQVA CINNAMOMI. Vix ex vllo alio ſimplici vel vegetabili plures & magis diverſi generis aquæ confieri ſolent, quam ex cinnamomo, adeo vt fere rude donari mereantur quædam. Laudanda vero inter has *aqua cinnamomi ſine vino*, quam & ſine nomine alias addito efferunt, vel ſimplicem & ſine vino deſtillatam.

Hæc licet a nonnullis additione aquæ roſarum confieri ſoleat; præſtat tamen reuera ſimplici aqua fontana pro menſtruo vti, præparatione cum oleo cinnamomi ceteroqui communi.

℞. Cinnamomi electi, morſu acuti, in cannis puta & integri, auserleſenen langen Zimmet / vel fragmentorum, quæ pro hoc caſu quoque recipi non abnuunt, gebrochnen oder

oder kurtzen Zimmet / quantum vis, v. g. ℔. i. ii. iii. iv. pro maiori vel minori exigentia, ipſiusque officinæ modulo.

Concerpantur in fruſtula cum digitis, citra contuſionem penitiorem, affundatur in veſica cuprea aquæ ſimplicis quantum ſatis, diffuſa & ſufficienti, ſextupla vel octupla minimum, imo & ſuperflua quodammodo quantitate, non ſolum ad exhauriendam omnem virtutem, verum etiam ad præcauendum empyreuma.

Stent infuſa per vnum alterumque diem, ad macerandum, & laxandos poros, hinc l. a. probe lutatis alembici & recipientis iuncturis, in hoc deſtillatio fiat, igne ſubdito per gradus ſucceſſiue adminiſtrato, nec feſtinanter nimis, nec præcipitando nimis ἐγχείρησιν, alembici & tubulorum parietibus probe ſtanno obductis.

Ita enim prodeunt ſenſim guttulæ, ſeu liquor primo limpidus, hinc lacteſcentes, prioribus addendæ, teſtes quippe particularum oleoſarum reſolutarum, & quaſi ſubpræcipitatarum. Adeoque ſeparanda eſt aqua cinnamomi primaria a ſecundaria, & aſſeruanda vtraque ad vſum, ſicubi temperatior expetitur in febribus, & vbi alias contraindicatio elucet, & in contrarium militat, in potionibus, emulſionibus & reliquis.

Alterum locum tenet *aqua cinnamomi cum vino*, quam alii ad compoſitas referunt, ſufficiente interim diſtinctiuo addito hoc nomine. Neque differentia eſt in proceſſu, niſi excepto menſtruo hoc liquore. In reliquis enim per omnia conueniunt. Loco aquæ enim vinum recipitur, ſeu noſtras, ſeu aliud bonæ notæ, ita tamen, vt maximam partem vinum affundatur, iisdem conditionibus & circumſtantiis. Non omittatur tamen additio aquæ ipſius, adeoque ſimiliter

procedatur, vt non nisi virtus variet saltem, calidior paulo, non tamen excessiue. Vnde etiam primaria cum secundaria, pro re nata, confundi & misceri potest, adeoque in statu medio in vsum trahi, citra metum caliditatis maioris, in reliquis non æque adeo magna differentia obuia.

Ast hic tangendus est mos, minus probandus, quarundam officinarum, quæ loco vini, nescio qua audacia vel temeritate, vel abusu saltim, recipiunt spiritum vini, seu genuinum, seu frumentaceum, non sine noxa sæpe, vel errore saltim insigni. Cum vehiculi loco peteretur in cachectico-hydropico aqua cinnamomi cum vino, mittebatur spiritus cinnamomi, dicto modo factus, qui cum in ægro, qui a spiritus vini largiori vsu in morbum inciderat, nullo modo adhiberi, vel admitti posset, necessario remittendus erat. Tanti interest, non quid pro quo admittere, & noxam loco remedii inferre.

Vt pergamus igitur, cum spiritus cinnamomi minus respectiue, simplex saltim, in vsum veniat, quamuis id liberum & indifferens concedere liceat volentibus, tertio loco optima & classicum in vsum recipi digna est *aqua cinnamomi cydoniata*, seu cum succo cydoniorum expresso & depurato facta. Hæc mediat quasi inter simplicem & cum vino factam, magis tamen ad priorem referri potest, vel inclinat, mutuata sibi ex succo cydoniorum particulas alterantes & roborantes temperatiores, manifesto tamen alium characterem præ se ferentes, quam aqua simplex fœnerat, cydoniato grato & iucundo sapore & odore conspicua.

Neque hic processus adeo differt, sed similis itidem est per omnia, nisi quod, leni fermentatione accedente, virtus exaltetur magis, & a posteriori simul impetretur quasi

sirupus

sirupus, ab inspissato succo cydoniorum, cum particulis quibusdam fixioribus cinnamomi. Potest etiam minori quantitate fieri in vasis vitreis, idque sic longe commodius, vitanda sic alteratione a particulis æneis vesicæ, vt *alius* quoque quibusdam.

Et hæc præter vires, cum reliqua aqua cinnamomi communes, stomachicas obtinet & satis temperatas, in vomitu, cholera, dysenteria, debilitato ventriculo, non quidem adstrictorias proprie, attamen aromaticas modificatas & roborantes tonicas. Vnde frequentissimi est vsus & longe optimi. Tacemus vtrobique oleosas esse diffusas & lactescentes, dum recens parata est aqua, quæ vt miculis etiam exiguis se præsentant, in maiori copia si operatio fiat, ita sensim sensimque ad fundum descendunt, & in oleum vnitum abeunt.

Quartum locum tenent *aqua cinnamomi borraginata & buglossata*, seu seorsim alterutrius accessio, succi, aquæ, florum, nomen largiatur & ingrediens; siue coniunctim vtraque in substantia & aqua. Talis est aqua cinnamomi florum cordialium *Dispensatorii Noribergensis* ibidem *fol. 144.* visenda, quæ constat ex cinnamomi acuti ℔ ii. florum borraginis, buglossæ, rosarum incarnatarum recentium a. m iii. aquæ borraginis, buglossæ, violarum a. ℔ iß. M. F. destillatio per Mariæ balneum.

Ibidem vero quoque descripta extat *aqua cinnamomi contra epilepsiam*. Tacemus plures alias, vbi quod in laudatis fit, cinnamomum baseos titulum non subit primarium, sed iuuantis saltim, vt vel loco citato aqua epileptica Norib. aqua mastichina, aqua antimelancholica, aqua aromatica, aqua confortatiua, aqua vitæ mulierum, seu balsamum embryonum describuntur & videri queunt. Sed quis enumeret hæc talia, quæ & alibi abunde reperiuntur, si non eiusdem, saltim similis commatis?

Inter

Inter pretiosissima etiam ex cinnamomo præparata militat OLEVM cinnamomi. Optimum quidem fuerit idem ex Indiis asportatum, modo genuinum sit; potest vero etiam apud nos confieri, & bonitas sui parentis inde probari, si dira auaritia absit, & non adulteratum, vt vel spiritu salis ammoniaci dulci ad oculum sisti potest, amygdalino puta vel balanino, alioue.

Describitur & hoc passim a Chimicis, præcipue vero *Lemery cursu chimico part. 2. cap. 4. p. 489.* & aliis. Processus, per dicta iam, cum aqua idem est, vnde non attinet actum agere, vel huc transcribere eundem. Notandum tamen præstare respectiue, si in paulo maiori quantitate instituatur ἐγχείρησις, ad ℔iii. vel iv; si cohobetur itidem noua affusa aqua, a qua iam oleum fuerit separatum; si ignis detur sufficiens, & paulo fortior. Ita enim ℔i. circiter ʒi. largiri aliquando potest, vel ℔iv. ad summum ʒvi. quod tamen apud nos rarius impetraueris.

Habet hoc vires dotales & seminales concentratas vnitasque, quæque inde expectantur, omnium maximas & eminentes, ad quoscunque vsus iam commendatos, adeo vt non tam doses guttulis, quam guttulæ dosibus sint adnumerandæ, ad guttulam vnam vel alteram scilicet, dissociandam vel cum saccharo in elæosaccharum elegantissimum, vel in vsus cephalicos, cordiales, stomachicos, aphrodisiacos, emmenagogos, ad partum difficilem, & alia.

Tacemus vsus alios ad VNGVENTA & BALSAMA, simplex scilicet cinnamomi, & composita apoplectica, cordialia, stomachica, polychresta: ad rubefaciendum, ad sphacelum imminentem & reuocabilem νέκρωσιν, separatis partibus intermortuis, ad reuocandos spiritus, & centena alia.

Hic

Hic vero memorandum eſt olei cinnamomi & caryophyllorum præcipuum, præter alia, phænomenon, quod fundum petant aquæ immerſa. Id vero duplici nomine alias accidit: (1) ob ſalis volatilis eminentiam & abundantiam maiorem, ſal enim eſt grauitatis principium; (2) ob cohæſionem hinc intimiorem, vnde cum minus in ſuperficie æqualiter expandi queant, quæ alioquin globoſitate maiori pollentia præſtant quoque, ita ſe inuicem librant, vt reſpectiue ſaltim implicata magis ad ima vergant, excluſo quaſi magis, nec poris ſe ita inſinuare valente æthere ſubtili. Id quod tamen in tenuatis magis particulis ſi contingat, miculæ tales magis ſuperficiei tenuatæ inhærentes reuera viſuntur ſupernatare, licet paucæ illæ.

Eadem quoque ratio eſt, quod eorundem facilius cum aqua concuſſæ particulæ alborem lacteſcentem inferant, ſolutioni faciliori ſimul quodammodo inſeruientes, & ſic aquam cinnamomi quaſi extemporaneam æmulantes: quod item cum ſpiritu vini rectificato tartareo, vel potius cum ſpiritu aromatico vel quaſi, vt apoplectico, confundi, miſceri & vniri ſeu abſorberi ſe patiantur; vnde ſpiritus cordialis vel linimentum conſurgit egregium, cum vel ſine confectione alkermes, camphoræ, aliorumque acceſſione.

Ipſum vero reſiduum a deſtillatione aquæ vel olei, quod perinde eſt, caput mortuum, inſipidum, inodorum, & cadauer quaſi reliquum, anima ſua, oleo æthereo, exutum, colore licet ſuo pollens adhuc, & cinnamomum repræſentans, terreum eſt, & actiuis ſuis particulis plane priuatum, vix niſi adſtrictoria virtute & ſiccante in vſum, ſi quis velit, vocari poteſt, vel ſolet; vel potius ad SAL FIXVM alcalicum, præuia incineratione ſufficienti, collecta ſubinde ex parua maiori quantitate, parandum impendi.

Ceterum & alia ex cinnamomo paranda, recepti vſus, delibari amant, liquida, ſicca & media, ſeu molli forma. Ita conſtituit inter diffuſa liquida, iam tacta, clareta, ſeu potus Hippocraticos dictos, ſiue cinnamomum inſtar baſeos ad vnam alteramque vnciam, cum vel ſine aromatibus aliis, nominatim cardamomo, zinzibere, galanga, nuce moſchata, cum ſaccharo & vino albo, infundatur per noctem, ſeu aliquot horas; hinc percolando ſæpius per manicam Hippocratis; ſiue ESSENTIA CINNAMOMI ſimplex, vel compoſita aromatica, indatur vino compendioſius. Tacemus ELIXIR CINNAMOMI ipſum Noribergenſium, & alia.

Memorandum hic eſt & OLEVM CINNAMOMI non deſtillatum, ſed PER EXPRESSIONEM confectum, quod deſcribit *Iul. Cæſar Baricellus Hortulo Geniali p. 184.* ſub titulo: Olei cinnamomi rara & pretioſa compoſitio, pleriſque incognita. Si, *inquit*, cinnamomi oleum ad diuerſas infirmitates parare optabimus, capere oportet cinnamomi contriti ℔i. quam ad inſtar liquidæ pultis cum oleo amygdalorum dulcium commiſcere ſtudebimus. Tum demum duodecim dierum ſpatio in loco tepido, clauſo vaſculo, ſituabimus, poſtmodum ex torculari totum id exprimatur fortiter. Hac enim methodo oleum odoris & ſaporis cinnamomi habebimus ad votum.

Hoc ad vires reparandas, & valetudinem conſeruandam rarum eſt remedium; prodeſt parturientibus, in ſtomacho debilitato, tam interius, quam exterius vſurpatur, ægritudines frigidas arcet, & in partibus corporis roborandis eſt tantæ efficaciæ, vt vix alterum conſimile inueniatur remedium. Hactenus *ille*.

Et hoc modo, ſi non alio ſublimiori, videntur vſi veteres ad VNGVENTVM DIVINVM præparandum, *l. c.* vt & apud

pro-

profanos ſcriptores ad vnguentum cinnamominum apud *Dioſcoridem l. 1. c. 75. p. m. 31. b.* ad vnguentum Ægyptium & megalion, apud *Ereſium l. de Odoribus fol. 446.* & alia, quorum locum hodie balſama tuentur. De ingredientibus, modo componendi & viribus locis citatis, legi poſſunt autores dicti.

Quis vero enumeret omnia & ſingula loca autorum, vbi cinnamomum ingreditur compoſitiones, quod fruſtraneum etiam omnino foret, ſiue gulæ illecebras ſequamur, ſeu medicos vſus, qui omnes ad dicta referri queunt facile.

Vt vnum ſaltim tangamus ex multis, pertinet huc CINNAMOMVM COCTVM, quando puluis cinnamomi acuti apparatur additione aliorum aromatum in cannulas, inſtar cinnamomi, velut cinnamomum reformatum. Talia exempla deſcribuntur apud *Zwelferum pharmac. Regiæ Claſſ. XI. p. m. 602.* ne SPECIES DIACINNAMOMI ipſas, tragemata groſſa, & alia diuerſiſſimi generis allegemus pluribus.

Sicuti autem ex dictis liquet abunde, aroma eſſe cinnamomum ſine pari, ita totum quidem bonum eſt, attamen prouidentia eget, vt id addamus, ne eodem abutamur & alias. Non enim nocet, niſi per accidens, ſiue vaporoſitate ſua elaſtica rarefactiua turbare poſſit ſpiritus, & grauare caput, ſiue rarefactione eminenti mixturam lymphæ & ſanguinis turbare, & in motum citare maiorem ac eccentricum.

Valet id, vt exempla demus, ſi quis vel cinnamomum ipſum redigere in EXTRACTVM ſatagat, irrito fere penitus & fruſtraneo actu, ſiquidem natura eiusdem aromatica repugnat plane, auolare magis apta & ſolita, quam remanere; ſiue extractis aliis idem, eiusue aquam vel oleum, maxime pro correctione vel roboratione addere. Verum idem eſt non modo de purgantibus, quo de *Zwelfferi* meretur legi cenſura iuſta

claſſe

classe IV. de extractis p. m. 142. prolata, verum etiam de opiatis maxime, vt laudano opiato.

Cum enim vtraque hæc debeant esse magis catholica & polychresta, præter alias rationes, sic angustioribus potius includuntur cancellis. Nullum hinc melius est extractum anodynum, quam simplicissimum, vel cum sola aqua paratum, quam pretiosius quodcunque, & maxime cum oleo cinamomi aliisque maritatum.

Ita quoque non opus est, vomitoriis addere cinnamomum, vel aqua eiusdem extrahere, cum sale vitriolato, illam qualitatem ex æneis vel argenteis vasis, cum longe meliora prostent, quod idem *Zwelfferus* tangit quoque.

Quemadmodum itaque summum in terris maiestatis diuinæ exemplum præbet inter aromata cinnamomum: ita longe plura de eodem fuerint scribenda & dicenda, si nostrum id ferret institutum.

Hæc itaque suffecerint iam nobis, tanquam officinis Europæis satis vsitata & cognita; quæ vero alia tangi potuissent ex regina hac arborum petenda, quoad partes reliquas, illa abunde exhibita & recensita a *Bartholomæo Pielat*, interprete, legi possunt in *Insulæ Ceyloniæ Thesauro medico, seu Laboratorio Ceylonico*, vbi flores, folia, fructus, indeque paratam conseruam, aquam, olea cocta, expressa & destillata, spiritum, essentiam, sal, sirupum, balsamum, vnguenta, emplastra &c. describit.

Vnum illud saltim tangemus adhuc, ex radice cinnamomi parari non solum OLEVM elegantissimum, in vsus iam aliquandiu etiam in nostris oris vtilissime receptum; sed & RESINAM pellucidam, vtraque ipsissimam camphoram eiusque oleum verum, & alia inde parari solita referentia.

SOLI DEO GLORIA!